

soli & semper proprio subiecto. Amplius sequeret semper corruptione alicuius accidentis comitem fieri corruptioni substantie sicut corrupto risibili corrumpitur homo patet consequentia. Quia corrupto proprio necesse est corrumpi illud cuius est proprium aliter non conueniret ei semper. hec autem experimur esse falsa. ut patet in accidentibus communibus & actibus secundis. Ex opposito autem cum omne accidens sit diffinibile & in diffinitione cadat subiectus de quo accidens per se predicatur ut patet primo posteriorum. & septimo metaphysice oportet quod omne accidens habeat proprium & per se subiectum per se namque supponit de omni semper & necessario. ad huius dubitationis evidentiam sciendum est quot cum apud .s. Tho. in questione de potentia dei subiectum habeat triplicem habitudinem ad proprium accidens. scilicet substantie ad sustentatum potentie ad actum & principij ad principiatum sicut calor ignis non habet esse nisi sustentetur in igne: & est forma accidentalis eius & oritur ex ipso sicut quod aliquid participat istas condiciones potest dici accidentis subiectum & sicut quod ab istis habitudinibus recedit potest negari accidentis subiectus. unde propter defectum prime que principalior est dicitur in primo posteriorum. quot nullus accidens est subiective in alio accidente. Quia videlicet nullum accidens potest sustentare aliud. sed sola substantia que est ens. per se alijs fundamentum prebet essendi. Quia autem aliquod unum accidens potest comparari ad aliud ut potentia ad actum. & quandoque ut proximum principium ad principiatum. & ideo conceditur etiam unum accidens esse subiectum alterius. quemadmodum superficies dicitur subiectus coloris: quia est in potentia respectu coloris. & dulcedo est in calido & humido: quia causatur ex calido & humido. potest ergo quadruplicem intellectus habere dubitatio mota. Primo potest intelligi ut queratur an omne accidens habeat proprium ut substantium. Secundo an habeat proprium subiectum ut potentiam. Tertio an habeat proprium subiectum ut principium. Quarto an habeat proprium subiectum ut substantium potentie & principium simul si questio sit sicut in primo sensum respondetur negative quod. scilicet non omne accidens habet proprium subiectum in ratione sustentantis ut probant rationes primo inducte. multa enim sunt accidentia que nullum proprium sustentans sibi vendicant. sed communiter multis insunt ut eorum separatio ostendit. separantur namque a substantia sustentante ea naturaliter remanente: quod de proprijs accidentibus dici non potest. Eadem quippe substantia absque sui mutatione contraria sustentat ut dicitur in predicamentis. Si autem iuxta secundum sensum dubitetur. Respondetur affirmative quot. scilicet omne accidens habet proprium subiectum in ratione proprie potentie eo quot quilibet actus respicit propriam potentiam. sicut enim actus respicit potentiam sic talis actus respicit potentiam & actus specificus potentiam specificam. Accidens autem omne actus. quidam est igitur omne accidens habet propriam potentiam cuius est actus propter quod tertio physico: in textu commentum decimum dicitur ad infirmitatem est alia a potentia ad sanitatem eo quot sanitas est aliud ab infirmitate. & duodecimo metaphysice. longo processu probatur principia predicamentorum esse eadem proportionabiliter. quia cuilibet actui propria respondet potentia. Si autem tertio sensu inquirat respondetur negative. quot. scilicet non omne accidens habet aliquod subiectum proprium in ratione principij proprii eo quot habere subiectum proprium in ratione principij includit fluxum illius accidentis a tali subiecto in genere cause efficientis eo modo quo duorum effectuum ordinem inter sese habentium prius est causa effectiva eius quod necessario primi productionem sequitur sicut istud subiectum fit receptivum accidentis ut quo sive ut quod patet quot non omne accidens fluit a suo receptivo efficiente: sed multa sunt respectu quorum receptivum pure passive se ha-

bet ut patet cum species rei sensibilis recipitur in medio sine in sensu. Si autem quarto modo intelligatur questio patet quid dicendum sit. negative enim respondere oportet. sed advertendum est quod hec que diximus intelligi debent. De accidentibus sicut seorsum acceptis actibus. & seorsum aptitudinibus. loquendo namque de accidentibus. ut .s. Tho. in littera loquitur. scilicet non iudicando actualitates accidentium seorsum ab aptitudinibus: dicerent quot omne accidens secundum suam radicalem aptitudinem habet aliquod subiectum proprium in ratione sustentantis potentie & principij licet non sicut suam actualitatem eo quod aptitudo ad tale accidens non est nisi in tali gradu substantiali fluat mediate vel immediate. Et consequenter nisi in tali gradu subiective sustentetur. Immediate vel mediate verbi gratia lumen sicut suam actualitatem & substantiam licet sit ab extrinseco. & sic accidens separabile tamen sicut suam inchoationem seu radicalem aptitudinem puta diaphaneitatem est inseparabile & fluit a certo gradu substantiali communi superioribus & inferioribus. & similiter sedere licet sit accidens per accidens: tamen sicut suam aptitudinem est proprium & non natum convenire nisi certo enti puta animali tali &c. fluit enim aptitudo ad sedendum ex suis principijs similiter & videre licet sit accidens separabile. Radicalis tamen aptitudo ad videndum separari a tali animali non potest. Ex his patet quomodo ad utramque partem rationes adducte verum concludunt diversimode. nam loquendo de accidentibus sicut suas essentias & actualitates conclusio rationum primo adductarum conceditur accipiendo subiectum in ratione sustentantis & principij. In ratione autem potentie falsa est conclusio ut dictum est. nec probatio contra hunc applicata sensum valeret eo quot cum dicitur quot proprium convenit soli omni & semper intelligitur de ipso proprio non sicut suam actualitatem: sed sicut aptitudinem. & similiter cum dicitur quot ad corruptionem proprii definit subiectum. intelligitur si corrumpitur sicut aptitudinem non autem sicut actum universaliter loquendo. vel dicatur quot inseparabilitas & huiusmodi non convenit accidenti ut respicit subiectum in ratione proprie potentie. sed ut substantium & principium. loquendo autem de accidentibus sicut suas aptitudines patet quomodo rationes peccant. Dico enim quot nullum accidens est separabile sicut aptitudinem radicalem saltem sed coeum subiecto necessario: & quod corrupto accidente sicut tales aptitudinem oportet subiectum corrumpi. ratio autem in oppositum adducta concludit quot omne accidens habet subiectum de quo per se predicatur sicut se vel sicut suam aptitudinem. Cum enim eius sit actus cuius est potentia ut dicitur inde somno & vigilia idem subiectum erit quod cadit in diffinitionem accidentis sicut aptitudinem & sicut actum sicut homo debet poni non solum in diffinitione risibilis sed risus. stant ergo ista duo simul quot accidens sicut suam actualitatem non habeat proprium subiectum cui universaliter soli & semper insit. & tamen habeat proprium subiectum per quod diffiniri debeat: quia ad hoc secundum sufficit quod sicut se vel sicut suam aptitudinem per se de illo subiecto predicetur. Ad primum vero sufficit accidens sicut se tantum non predicari per se de subiecto.

¶ Sequitur textus.

¶ Sciendum est autem quot in accidentibus alio modo sumitur genus differentia & species quam in substantiis. quia enim in substantiis ex materia & forma substantiali fit per se unum una quedam natura ex eorum coniunctione resultante que proprie in predicamento substantie collocatur. Ideo in substantiis nomina concreta que compositum significant proprie in genere esse dicuntur sicut genera vel species ut